dogmata, ita se habent, ut nec à nostratibus, nec à Reformatis, imo nec à Romano-Catholicis probentur; contendat licet *Tertullianus* contra Psychic. in l. de Jej. sub init. f. 770. quod *Paracleto controversiam faciant, & quod propter hoc novæ Prophetiæ recusentur, non quod alium* DEUM *prædicent Montanus, & Priscilla, & Maximilla, nec quod* JEsum *Christum solvant, nec quod aliquam fidei aut spei regulam evertant, sed quod plane doceant sæpius jejunare, quam nubere.* Sed lapsus gravitatem satis arguit impium, & vere hæreticum dogma, quo Paracletum istum Montani falsarum prophetiarum scripturis contrariarum, & Enthusiasticæ infatuationis, & insaniæ, imo omnis Montanisticæ impietatis autorem, Spiritum Sanctum esse pertinaciter asseruit, ex eodem charactere malignitatem spiritus, qui Montanum agebat, agnoscente *Apollinario*, eximio Ecclesiæ ista tempestate Doctore apud *Euseb.* H.E. l. 5. c. 16. aliter licet in gratiam Montani, & ejus Prophetissarum, videatur pro more *Arnoldo*, parum magnifice de *Apollinario*, cui non subscribit, sentienti in Hæresiol. l. c. f. 78. §. 48. sq. 53. & ex mera præconcepta opinione, & superba de se præsumtione, sine testimonio in multis Antiquitati contradicenti. Merito hinc B. *Hieronymus* Ep. ad Marcell. t. 3. f. 58. D. *aperta*, inquit, *est convincenda blasphemia dicentium: DEUM primum voluisse in veteri testamento per Moysen & Prophetas salvare mundum: sed quia non potuerit explere, corpus sumsisse de virgine, & in Christo sub specie filij prædicantem mortem obiisse pro nobis. Et quia per duos gradus mundum salvare nequiverit, ad extremum per Spiritum Sanctum in Montanum, Priscam & Maximillam, insanas fœminas descendisse, quem Paulus non habuerit dicens: Ex parte cognoscimus* &c. Peregrinum itaque, & plane alienum fidei principium, imo ruinosum ejusdem fundamentum, cum Tertullianus novæ suæ disciplinæ constituit, quin anathema hoc nomine mereatur, non est cur dubitemus ex Gal. 1, 8. sq. Non minus quando, sicut ipse confitetur in l. de Jejun. *ex imperio novæ disciplinæ; ex* DEI *imperio* l. c. f. 779. *non vero indifferenter jejunandum* contendit; *stationes item plerumq; in vesperam productas, Xerophagias etiam, siccantes cibum ab omni carne & omni jurulentia, & uvidioribus quibusq; pomis, nec quid vinositatis vel edamus, vel poremus,*